

2  
¶ Prosecutio expositioni de Trinitate: & quod bonum est super essentia & propter exuberantiam lucis ignotum.



Es quilibet quo magis bonitate uigent / eo magis sua quada[m] ppagine se comunicat. Quapropter ad infinitum boni propagatio pertinet infinita. Cum uero duo esse infinita non possint / merito infinita bonitas rursusq[ue] immensa bonitatis propago / natura sunt una / seipsam uidelicet intra se propagans. Tura uero quoniam omnis amor ad bonum necessario fertur. Consequens est p[er]enes infinitum bonum / eiusdemq[ue] propagine[m] infinita: infinitum quoq[ue] amorem spiritumq[ue] amatorium ad seipsum intus existere. Dum uero tres hic quasi naturales proprietates personarumq[ue] numeramus: interea quoniam quod est infinitum nihil relinquit / extra se suum. nec admittit aliquod alienum / naturam unicam simplicissimamq[ue] cogitamus. Proinde / ac si quis naturalē solis formam / & lucem huic intimam calefactoriūq[ue] uirtutem / unicam solis naturam esse dixerit. ¶ Diuina Trinitas / non est numerus aliquis in quantitate genere collocatus: nec etiā in substantiæ genere. Nec insuper in essentia ordine computatus. Cum enim appetitui naturali non sufficiat esse: sed affectet insuper bene esse: ideoq[ue] entia singula sunt quoddam bonum appetant / atq[ue] uniuersum ens cupiat uniuersum bonum & ipsum; tandem ens primum similiter exoptet primum bonum / merito bonum ipsum tanquam finis perfectioq[ue] entium omnium / atq[ue] entis / horum omnium est principium. Et idcirco uniuersa essentia primaq[ue] superius. Est insuper eminentius deitate quauis & bonitate: per quas uidelicet aliquid alicubi deus sit: & aliquid alicubi bonum. Prima enim bonitas extra omne quomodoq[ue] bonum ac prater omnem compositionem absoluta p[er]uenit simpliciter in seipsa consistit. ¶ Inuisibile dicimus tum lumen quod minimum / tum quod maximum. Hac enim uel illud prospici: uel hoc ab oculis inspicere substinereq[ue] potest. Sed hoc rite potest super inuisibile nominari. Similiter in formis rerum materia / itemq[ue] rerum principium sunt ignota. Sed materiam ob lucis defectum / ignotam dicimus. Principium uero ob excessum lucis super ignotum. ¶ Summus animæ ad deum ascendens gradus caligo dicitur atq[ue] lumen. Caligo quidem quatenus animus per negationes quasdam illuc usq[ue] processit: negando uidelicet deum ipsum esse rem hanc / aut istam: aut illam / uel natura compertam uel a nobis excogitatam. Lumen uero / qua ratione non aliter de deo quam ita negando perspicuam consequimur ueritatem. Ut tenebre eius inquit Dauid: ita & lumen eius / & nox tanquam dies illuminabitur.